

Ann. X.

ROMAE, Kal. Martii M DCCCC VII.

Num. III.

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA"

VARSAVIAE POLONORUM
Rakowskie Przedmiescie, 15

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM
Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap et S. Rit. Congr. Typ.

LONDON W.
28, Orchard Street.

RATISBONAE in BAVARIA.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

**PIO X Pont. Max. in Festum Nominale Sancti Iosephi die XIX mens.
Martii M DCCCC VII.**

De Persarum regni fatis.

De christiana eruditione a litteris non sciungenda.

Quiritium patroni.

Colloquia latina. - Excursus in glaciem.

Iesus ad sepulcrum tractus.

SS. D. N. Pii PP. X Jubilaeum Sacerdotale.

Acta Pontificia. - Decretum SS^{mo} per S. Congregationem Episcoporum et Regularium
vulgatum, quo quaestionum elencho ratio praescribitur conficiendi tertio quoque
anno relationem Institutorum vota simplicia profitentium.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.

Diarium Vaticanum. - Coram SS^{mo} admissions. - Pontificiae electiones. - Vita functi
viri clariores.

Annales: Iaponica cum Americanis discordia. - Mauritana seditio. - Turcarum res. -
Argentinensis reipublicae tumultus. - Itinera pacifica. - Gallorum resipiscentia?

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Per Orbem.

Ioci.

Librorum recensio.

Libri recens dono accepti.

Aenigmata.

In tertia operculi pagina:

ZENO - Tragoedia JOSEPHI SIMONIS Angli. (Passim retractavit hodiernisque scenis
aptavit I. F.).

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGLIANI

35, Via della Pace

M DCCCC VII



T. ET G. FRATRUM PARISI
**Pontificia officina Candalarum ad Sacra
Facularumque sine oleo ad noctem, decem horas ardentium.**

ROMAE in ITALIA, in Foro Campi Martii, 6

Peculiaris candelarum liturgicarum fabricatio ad S. Sacrificii celebrationem - Cerei Paschales
- Lumen Christi - Cerei ad Officia Tenebrarum - Cerei ornamenti decori ad baptismata et
Sacram Synaxim primum recipiendam - Filum cera madefactum ad candelas accendendas.

Merces ad omnes orbis portus nullo impendio iubentium, ne pro colligatione quidem, mittitur.

REQUIRANTUR CATALOGUS ET PRETIA

Officinae honores concessere Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Anglica, Gallica, Theutonica, Hispanica lingua.

Sociis et lectoribus officinam hanc Candalarum ad Sacra enixe commendamus,
quae per orbem universum operis suae fructus iamiam disseminavit,

SUPELLEX AD RES DIVINAS

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*)
mittantur, res praecise indicando, quas quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum
aestimatio fiet.

SATURIO

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro
Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS
paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Com-
mentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR.
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

PIO X PONT. MAX.

IN FESTUM NOMINALE SANCTI IOSEPHI
DIE XIX MENS. MARTII M DCCCC VII

*Pange Iosepho, decimo Piorum,
quo die Sponsum colimus Mariae,
pange festivum, mea Musa, flexo
poplite carmen.*

*Heu! lyram frustra digitis fatigo;
icta, nil laeti sonat; usque acerbum
Galliae luctum querula rudique
voce recantat.*

*“Gallicas urbes” - ita luget - “hostis
vastat immanis, stygio furore
ausus in nomen sobolemque Christi
bella movere.*

*Iura proculat pede sanctiora,
teste quae caelo rata iam fuere,
norma quae longo steterant ab aevo
moris honesti.*

*Templa, quae mimis reserat tyrannus,
clausa templorum voluit ministris;
his rapit pactas, per avita regni
foedera, dotes.*

*Carceres, mulcas, genus omne demum
ille poenarum vacua pudoris
fronte decernit; celer, et cruentas
edere caedes.*

*Gentium ius est, violanda ne sint
tecta legati: quid agit scelestus?
Hospitis sacri populatur aedes,
scrinia frangit.*

*Inter haec, vasto crepat ore: Vivat,
quae beat Gallos, PARITAS! sororque
alma LIBERTAS! PIETASQUE, FRATRUM
mater et altrix! „*

*His sed indulatum satis est querelis....
Laetius tandem, mea Musa, carmen
funde, quod curas abigat, Patrisque
ora serenet.*

*Dic, lacessitis aquilone cedris
robur augeri: metus ipse gignit
sponte radices, in humum tenacem
altius actas.*

*Dic, suum stellis iubar esse tutum,
quidquid impurae blatero salivae
iactet in caelos: stolidae minantem
sidera rident. **

*Dic vices, iusti quibus est probata
vita Josephi: gemuit frequentes
inter aerumnas, nova post labores
gaudia nactus.*

*Dic Crucis sanctae veteres, recentes,
millies victo Satana, triumphos;
dic...; sed arrisit Pius...; ominare
fausta, sileque.*

Franc. X. Reuss.

* Rei publicae in Gallia administer Viviani, ut omnes memoria tenebunt, nuper declaravit, exstinctorem se fore caelestium siderum: impia non minus quam ridicula iactantia.

DE PERSARUM REGNI FATIS.

Nostras quoque inter gentes, etsi non regio nutu sed liberis suffragiis regamur, gravissimum saepe discrimen regis obitus reipublicae afferre solet.


Id vero longe gravius contingere in Persis nemo mirabitur, qui vetus eorum regnum, licet concessu nuper simulacro libertatis, imperio tamen regio longe lateque vetustissimo, Asiatico more, gubernari perpenderit. Ille igitur qui regi nuper vita functo successit, Ali Mirza nomine princeps, suo iam arbitrio tradita sentit fata populi gravissima, pacem domesticam, externa foedera, futura patriae commoda, deus, gloriam. Nec enim contiuere adhuc quae diu flagrarent per regnum throni cupiditates, neque hactenus adversae factiones odia vel arma tandem posnere. Urgent pacem adversa quoque gentium ingenia, quae imperii ambitu subiciuntur. Religiosae denique pugnae persaepe renascentes auspicia novi regni magis magisque perturbant. Quid vero tot inter discrimina regius ille baeres sit provisurus nemo novit, nec scit quisquam an malit eum finitimus Europaeorum coloniis commercia multiplicare vel cohibere, an Anglis potius quam Russis faveat, an bello studeat melius, vel paci.



Ab oriente enim Afgani pyratae Persarum finibus minitantur; urgent ab occidente Turcarum arma; a septem trionibus instant Russi, a meridie Angli incident. Adversas has cupiditates male hactenus Persae reges cohibuere, Russorumque praesertim senserunt unguis, qui multis iam bellis superato hosti fines et littora Caspii maris feracissima abstulerunt. Quod autem reliquum est, deductis hinc inde ferreis suis viis, ita premunt, ut ipsam prope urbem caput regni Teheraniam hand a longe iam spexit.

Adversis finibus Angli instant, e Belucistania nimirum et Afghanistania provinciis; sed Chorassania deserta eo versus ab Anglis Persas protuentur: quare nil melius hactenus Angli ausi sunt, quam Persicum litus sua interdum classi invisere.

Tum igitur Muzaferius rex qui mox obiit, tum eius decessores Anglis potius favere conati sunt. Attamen paucis abhinc annis, sive ob recedentes Slavorum ausus, sive ob inita forte inter utramque aemulam gentem in Persarum detrimentum foedera, Russicus legatus multa iterum sibi iura tum Caesari suo tum suis civibus adquisivit, argentariam mensam Teheraniae ingentem condidit, viam ferreis curribus sibi per occidentales regni regiones aperiendam obtinuit, Tabris ab urbe usque ad Indorum mare. Hisce modis Russi iterum Persis dominantur, iterque sibi sternunt ut ad oceanum usque perveniant. Anglos contra non sine sponzionibus multis sibi traditis id tolerasse credendum est, ut Indici imperii fines tutos habeant, utque Persici maris orae portusque ad Ormuz urbem sibi libera pateant.



Quo itaque Ali Mirza rex vertet pedem? Russos blandietur an Anglos? An utrumque tacite repellere mente revolvet? Congeruntur enim iamdiu in populo ambos in hostes odia, antiqua quidem et asperrima. Neque tentator, aut saltem sollicitator, multum abest Guilelmus Caesar, qui Arabis ferreis itineribus Bagdad usque ad urbem deductis ipsum Persarum regnum attingere se velle ostendit, Persis regibus suam tutelam proferre, ab Anglicis aut Russica ditione solvere, et negotiosis ausibus et commerciis gentis suae omnis spe praemii allicere.

Cui quidem si credant Persae, iamiam Mauritanae – quam dicunt – quaestionis ad instar, discrimen maturet, arduum sane, ingratum, asperum, atque paci servandae plane salebrosum.

Quamobrem iure est auspicandum fore ut quieti potius rex studeat, et provehendae regni prosperitati, augendisque copiis, litteris atque commerciis, omnique humanitati multiplicandae magis magisque adlaboret; bellica contra ne consilia sequatur, sed inquietos subditos cohipeat, atque tum sibi tum reliquis gentibus pacis beneficia conservet.



Animos informare invenes ad Christianam Sapientiam, unum debet esse propositum iis, qui studiosos discendi omni cura atque diligentia erudiunt atque docent, quo meliores cives, utilioresque rebus suis fiant et publicis. Quaevis enim institutio, quae ad rem non veniat ipsam, ut eadem sit utilitas uninseniusque et universorum, quaeque vitam privatam et publicam non adinvet, quo facilis id quod volumus, consequamur, *summum bonum*, est non modo nomine Christiano indigna, verum etiam vana atque inanis. Quamobrem qui ad humanitatem et ad omne officii munus adulescentulos instruunt, prae oculis habeant illud Apostoli: « Filioli mei . . . vos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis ». Hoc infrimari non potest, quum naturae rationalis sit inquisitio veri atque investigatio, quia nihil volitum quin praecognitum, unde necessum esse arbitror, cognitiones non adumbratas veri, ant finis ad quem tendimus, animo percipere et mente.

Quid verius aut utilius aut aptius Christiana institutione, quae non ad fluxa, sed ad altiora et magnificentiora nos natos esse docet? Et quoniam haec, de qua agimus, doctrina non speculativa tantum habetur, verum etiam practica, sic sapientis est ad Deum uti supremum terminum actiones omnes dirigere ab incunabulis ad perfectam usque aetatem, ut per singulos gradus praecelta vitae constitutus quisque sibi. S. Hieronymus in epistulis: « Christiani, – inquit –, fiunt, non nascuntur » quae institutio a rudimentis fidei procul dubio manat, uti « Initium sapientiae timor Domini – declina a malo et fac bonum – quaere pacem et persequere eam – nisi oderimus malum, bonum amare non possumus – quod tibi non vis, alteri ne feceris – », et sexenta alia dicerem, si paucis rem perstringere non cogerer.

Sed incredibile dictu est, quantam perniciem humani generis societati attulerint effreni intelligendi auctores mordicus contendentes beatitudinem, honestatem et iustitiam sine Deo, in sola ratione ac rerum progressu oppido esse collocandam. « Ratio vero humana, suis innixa viribus, – docet Angelicus – potest modo nonnullas quidem veritates detegere, at doctrinae corpus efformare nequit ad vitam honestam et civilem procurandam; nam homo sic est a natura comparatus, ut ad ultimum finem adipiscendum summopere intendat cognitione perfecta ut contempletur obiectum, eique ardenti amore adhaereat ».

Bonum et verum inter se convertuntur, et sicut intellectus ex necessitate inhaeret primis principiis, et voluntas ex necessitate ultimo fini, sic animus hominis indifferens esse non potest ad Bonum quod est Deus: « Ego sum veritas – Ego principium et finis – » ex quibus facile intelligimus Christianam doctrinam nondum esse veram, sed necessariam cuique hominum aetati ad bonum privatum et communatum. « Datum est nobis, – ait Basilius –, mentis iudicium ad veritatis intelligentiam; Deus autem noster est ipsa Veritas: itaque praecipuum ac primarium est menti Deum cognoscere nostrum ». Non est sane dubium, quin

(1) Dictum in sollemni praemiorum distributione apud Pontificium Seminarium Romanum xvii Kal. Febr. MDCCLVII.

plerique decepti progressu cultus materialis, studium vitamque versent in rerum omnium cognitione, et ab augendis ipsorum utilitatibus et commodis non recedant, quo cives meliores et utiliores rebus suis esse possint et publicis: quo circa sibi persuasum habent nomen honestatemque se explere posse: Christianam eruditionem ut supervacaneam habere, et se et liberos negligunt ieiunos rudimentis fidei ac principiis.

At sapientes si in huius veritates omnes verterent animum, sibi haud aegre persuaderent Christianam eruditionem quam maxime esse necessariam ad cultum civilem et humanum.

In tanta enim rerum humanarum perturbatione, neminem latet hos perversos homines susque deque habnisse summa veritatis principia, denegantes scilicet hominem a Deo conditum esse e nihilo ad imaginem et similitudinem Sui, vel obfirmantes eius originem deduci a simiis aut esse vermiculum in hominem iam conversum. Deus primo Dominus omnium observabatur et Eius in hominem ius: mox Deum, qui et Veritas immutabilis, esse negant aut contempnunt.

Quo haec doctrina nostris praesertim temporibus tendat, nemo est qui facile non videat: quaque nihil absurdius conjectura assequi potest. Quamobrem praestat in memoriam reducere illud Psalmistae: « Fiat via illorum tenebrae et lubricum sicut cera quae fluit, auferentur: supercedidit ignis et non videunt solem ».

Bello sic pro libertate suscepto, liberi sui iuris esse volunt et parentibus nil prorsus oboedient: cives leges perfringunt, et omnes uno verbo imperium detrectant illorum, qui praesunt, propterea quod omne ius effrenamque vim resistendi sibi adsciscunt. Decem legis divinae praecepsis sic neglectis, possessiones ceu furtu habentur et in eas ius persecui suum egentes iuste et legitime possunt. Iuris ac nominis notione deleta, ad singulare certamen configiunt, et reparatam illius arbitrantur iniuriam, qui vi, astu vel arte superior e pugna discessit.

Mortem sibi consiscere levi etiam causa, profecto decorum. Honestati insidiari et pacem turbare domesticam aliorum ius, fasque.

Ubinam gentium perversio maior esse poterit? Nonne insipientium sunt cogitata istorum?

Si divinos excipias, ceteros libros longe superat parvus ille catechesis Christianae libellus, quippe qui breviter strictimque amplectitur quam legem Christus Iesus, Ecclesiae suae ad bonum societatis universae tradidit, et ex cuius elementis omnes fere disciplinae sacrae et profanae vitam honestatemque accipiunt. Verum sunt tamen qui suapte arrogantia ducti ac permoti huiusce exigitatem libelli, eiusdemque vim aspernantur, dum apud gentes humaniore cultu expolitas et Christianas, sapientiam huius mundi praeseferunt, quae stultitia est apud Deum.

Christianam doctrinam certo ac plane ita quaestiones omnes persolvit, ut nulla dubitatione homines huius affecti sensu, in animum sibi inducerent, Deum esse qui mortalia regat, et cuius Iustitia et Providentia improbis viris

poenae, frugi autem praemia sunt constituta in ea vitae commutatione, quae nos aliquando manet omnes: hanc vitam nihil ad voluptates fuisse concessam: gravissimum, nedum dederunt, verum etiam crimen, vim sibi adferre; pravas tunc negligerent opiniones a rerum novarum studiosis iactatas, et ad remedia accederent his malis adhibenda, quae nunc temporis servunt et latius in dies manare videntur. Finem denique tunc imponerent tumultuosis vocibus ac desidiis!

Quibus de rebus Pins Decimus Pontifex Maximus singulari pietate insignis, ut universam servaret communitatem, potissimum et iuvenes ex ingruente peste, quae homines facit dicaces atque perditos, sapienti consilio effecit, ut optimus quisque sibi persuaserit, civitatis bono et privato neminem consulere, nisi qui pietate, religione, morum innocentia, bonisque artibus commendetur.

JOSEPHUS DE GENNARO.

QUIRITIUM PATRONI.

QUMM ADVOCATOS, patronos, clientes, iudices, forum dicimus Romanorum, aliud plane significamus ab iis quae hodierno tempore similibus nominibus intelliguntur: iudiciae enim omnes res, utpote nunc sunt, longe alias quam Romae fuerint, sese habent.

Patronus, exempli gratia, tribus maxime modis ab hodierno sensu differt: Romae enim patroni non tantum defensores, sed accusatores quoque forenses oratores erant, simul de publicis rebus saepe satis agebant, idque magis libere quam hodie unquam contigerit. Primum autem praecipua de causa fiebat quia dum hodie criminum vindicatio publica auctoritate geritur, atque propriis magistratibus utitur, tunc contra nihil huiusmodi vigebat, omniaque privata ope curabantur. Idem enim erat ritus qui in causis privatorum; publicus incusator nullus erat, unusquisque privatus civis causam suscipiebat, neque eum oportebat ex crimine damnum sustulisse ut incusaret, sed, quum pleno iure civili frueretur, alium incusare optimo iure poterat veluti si publicam gereret vindictam.

Quoniam vero plerique cives huiusmodi incusationum satis incuriosi videbantur, ut inimicitias et odia vitarent, praemia sunt legibus constituta iis qui publicam incusationem suscepissent. Romae igitur quum socius nominis Latinus aliquem accusaret, ius quiritium adipisciebatur; quum vero iam civis esset, tribu mutare poterat: si vero senatoria dignitate honestaretur, ordine augebatur. Publicas hasce utilitates pecuniarium praemium eumulabat, idque non parvum: quum enim incusator condemnabatur, eius ex bonis magnam partem incusato tribuebant.

Sed neque hisce praemiis satis cautum necessitati fuit. Etsi enim multa utilitatis alea hisce in incusationibus esset, haud minus tamen damni periculum erat. Non enim tantum et rei et familiarium eius ultionem sibi delator conciliabat, verum et suos saepe odiis ultro offerebat. Quoties autem de publico crimine, ut

de perduellione, aut maiestatis, aut capiae pecuniae agendum esset, tune non tantum cognati et amici reorum, verum etiam eius clientes et factio eius universa pugnabant pro eis.

Quum vero civis capitali poena damnaretur, iura sua omnia amitterebat, saepe in exsilium pulsus, semper publicata bona sua videbat. Quae quum ita essent, omni ope rei nitebantur ut poenam vitarent; maxime autem ut optimos oratores sibi conciliarent, quos lex eis ut deligeret sinebat. Tunc vicissim accusator oratore uti cogebatur atque contra rei insidias cominus pugnare, sive falsos testes quaerere, atque ita probationes componere, ut rei crimen omnimode evinceret. Nam quoties incusator causam perderet, calumniae quoque reus evincebatur, tandemque huius in signum criminis K litera eius in bumeris imprimebatur, qua verbum « calumniator » antiquo more scribebant.

Patet itaque discrimen accusatoris ita fuisse pergrave, ut illud facile cives vitarent, nec quisquam publicum onus susciperet, nisi et clientelis et opibus sese praevalidum in republica crederet. Publici enim accusatores non alii fuere quam Scipio Aemilianus, Marcus Cato, Lucius Crassus, Marcus Antonius, Tiberius et Caius Gracchus, Quintus Hortensius, Marcus Tullius; idque ausi sunt tantum in limine honorum publicorum: sero autem, quum iam ciuibus satis noti facti essent, onus omne incusationis omnino reliquerunt et patrocinio tantum usi sunt.

Quod autem hodie interdum contigit ut de publica quoque re privati patroni in foro disserant, illud Romae semper accidebat, ipsaque negotiorum natura de publicis rebus inquirere patronos oportebat, atque de eis dicere. Quod maxime in municipiis contigebat, ubi partium studia ita fervebant, ut accusatorem inter et reum ea quoque odia saepe intercederent, et privatam causam asperiorem facerent. Quamobrem causa quaeque, licet haud gravis, novum inde pondus obtinebat et non amplius inter privatos quam inter utramque factionem agitabatur.

Quod neque in causis deerat quae de bonorum possessione agerent; nam etsi de privato iure violato aliquis incusaretur, odium saepe in libello delitescebat publicum, atque cupidus ultiionis aut invidia illud fovebant. Ceterum absque stipendio patroni dicebant, ac plerique gratia tantum et favore optimatum aut clientum ad patrocinium movebantur, atque precebus vel mediationi amicorum cedebarunt ut pro reo perorarent in rostris; quae quidem intercessiones plerumque non nisi a ciuibus eiusdem factionis interponebantur.

Verum ipsi magistratus causarumque iudices publicae rei administranda intendebant; quo magis fiebat ut in tribunali publica studia commoverentur. Antiquitus enim consules pro tribunali sedebant; mox praetor iis successit, qui saepe suo arbitrio aut diem causae indesinenter differebat ut amicis faveret, aut citius advocabat ut noceret adversis.

Indices autem, aliquid simile nostrorum indicum portendebant; nam inter ciuibes eligebantur, ita tamen ut iis in diligendis publica studia magnum semper locum obtinerent. Quoadusque enim res publica penes patricios fuit, minime esse iudices nisi ex senatorio ordine poterant,

ita tamen ut quoties senatores rei accusarentur, innoxii e indicio descenderent. Quum autem Gracchi de iudicis instaurandis populum rogavunt, equitum ex ordine diligendos iudices voluerent, cuius legis consequens fuit, ut omnes rei equestri ex ordine absolverentur, e senatorio antem passim condemnarentur. Postremum fuit ut ex senatoribus atque ex equitibus simul iudices eligerentur, quod magis necessarium patronis fecit, ut de publicis rebus inquirerent ipsi, et dicerent. Id satis probat exordium orationis primae in Verrem, quum Marcus Tullius iudices improbat antecessorum culpas revocans monetque graviter, nisi recte indicent, poenam periuri a diis latus.

Postremo in patrocinii exercitio nullae leges patronum vinciebant, sed omnia pariter libera ei erant pariterque permissa: neque titulum exhibere patronos oportebat, sed satis erat si instructi et facundi oratoria arte essent. Omnia vero eis adhibere licebat ut certamen vincerent; itaque falsis testibus utebantur, et iudices auro corrumpebant, et falsas probationes adduebant, tandemque ab iniuriis neque a vi abstinebant ut causam vincerent, nec nullus censor erat, qui talem audaciam corrigeret.

Quae omnia nemo negligat oportet, qui aequa lance vel Marci Tullii opera, vel Hortensii aut aliorum patronorum rectam aestimationem capere voluerit.

COLLOQUIA LATINA

Excursus in glaciem⁽¹⁾.

BERNARDUS. — Etiamnum assides foco, Modeste?

MODESTUS. — Scilicet, ita nunc fert anni tempestas.

B. — Fateor, est frigus intensum atque horridum; verum alio modo, quam ad ignem residendo, iuvenes calefieri decet, si quando premantur frigore.

M. — Quo pacto igitur?

B. — Appetamus invicem pilis niveis.

M. — Nempe ut mihi oculum executias, an mactes etiam, si capitum tempora impegeris.

B. — Absit a me tantum flagitium.

M. — Non de industria id facies, scio; sed ita cadet sorte fortuna.

B. — Lubricum ergo per glaciem agitemus cursum: toti ociosus incaluerimus.

M. — Aegre me eo pellicies hodie.

B. — Quidni?

M. — Timeo ut glacies sit satis firma.

B. — Ne dubites; furens enim spirat ventus, quo facilime aqua constringitur.

M. — Omnia dein vivaria nive obiecta sunt.

B. — Venti dissiparunt nivem. Novi ubi patet ampla planities: agedum, comitare me.

M. — Quoniam tam amice instas, comitabor. Sed muniamus manus chirothecis; alias obrigescunt frigore.

B. — Manus meae patientes sunt frigoris; tamen induam chirothecas.

M. — Nostin' per glaciem discurrere callopo diis ferratis?

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN TORKE S. I. Antwerpiae ed. an. MDCLVII — Passim retractavit L. F.

B. — Velocissime; dextrorum, sinistrorum, recta, oblique, in circulum; nunc utroque pede, nunc altero tantum.

M. — Tiro admodum in hac ego sum arte, nec adeo satis audax, ut incedam per glaciem: metuo ne glacies mihi fallat vestigia.

B. — Cur non tibi comparas calceos solis clavatis? Quantumcumque sit glacies lubrica, inambulabis tutissime.

M. — Atque ecce obvium commode habemus Dominicum. Is se nobis adiunget tertium. Primum, salve, Dominice.

DOMINICUS. — Et vos tantumdem.

M. — Credo te glacie domum reverti.

D. — Glaciem ego descendere nunquam soleo. Vereor, ne mihi cadendo cerebrum diminuam, et brachia frangam vel erus, aut luxem aliquod membrum.

B. — Nimium es metieulosus!...

D. — Non temere est quod ita metuam. Modo praeterivi vivarium quod in proximo est: aliquos gravissime labentes conspexi de ripa, adeo, inquam, graviter, ut glacies crepitaret atque in formam stellae rimas ageret. Malo me in atrio nostro calefacere flagellis agitando trochum.

B. — At nos excursu in glaciem. Vale.

esse, quae ab inito Sacerdotio SS. D. N. Pii PP. X quinquagesimum annum expleret, duplex Pontificem rogavit, ut ipsi concupitam facultatem largiri dignaretur sollemnia per catholicorum orbem ad faustissimi eventus celebrationem promovendi. Quod quum a SS. Patris benignitate obtinuisse, Consilium ad hoc in Urbe instituit apud coetum maximum eiusdem Societatis, cuius tutelam multos iam annos gerit Eius vir Aloisius Oreglia a S. Stephano, Sacri Senatus Decanus, qui mox honorarium Consilii principatum libentissime exceptit.

Atqui, inter fidei testimonia, opera, sollemnia, quae sibi coetus noster ad rem proposuit, unum est peculiariter iuvenibus catholicis universis reservatum, ad quod ephebea societas que adolescentum omnes potissimum invitamus: oblationem dicimus aurei calicis in sacris iubilaribus a Pontifice adhibendi; cuius quidem ex pretio redundantia, si fuerit, accessura sit stipis collectioni apud Christiades omnium ordinum initiae, Iubilares Missae eleemosynae ad instar offerenda. Neque fore voluimus ut Patrem amantissimum lateret a quibus Eius animo, tot filiorum perduellum vitae ratione afflito, solamen ac levamentum, iucundum profecto, fuerit comparatum, quinam inde Ecclesiae spes hominumque societatis fuerint reputandi: largitorum enim nomina, singulari volumini inscripta, una cum calice atque stipe Ei sufficiantur.

Nos igitur, quibus praefatum Consilium constat, sollicitudine tua, R. Domine, freti, quam apprime novimus, Te enixe rogamus, ut incoepui, filialis devotionis itemque eximiae virtutis exemplum evasero, faveas ulti, id praesertim procurans, ut eidem accendant pecuniaque sua participant adulescentes omnes tuae curae conerediti. Itaque schedulas aliquot ad Te mittimus, quas subscriptionibus repletas ad Consilium nostrum Urbanum deinde cum collecta stipe redde.

Quae dum iuxta optata futura confidimus, gratum est grati animi nostri nostraque observantiae sensus Tibi aperire, unde erimus usque, etc.

ACTA PONTIFICIA

Decretum SS. per S. Congregationem Episcoporum et Regularium vulgatum, quo quaestionum elenco ratio praescribitur conficiendi tertio quoque anno relationem Institutorum vota simplicia profitentium (1).

84. (In Institutis Clericorum). Quot annis clerici vident studiis, a) litterarum humaniorum, b) philosophiae, et c) theologiae.

Quatenus autem studia domi peragantur, quot professores singulis disciplinis tradendis sint addicti.

85. Num omnes studentes:

a) integrum cursum studiorum perfecerint antequam e domo studiis destinata exierint;

b) ante promotionem ad sacros Ordines studia per pontificium decretum Auctis admodum respective praescripta rite perfecerint;

c) caetera omnia a sacris canonibus pro admissione ad Ordines requisita (circa titulum Ordinationis, litteras dimissorias etc.) religiose observaverint.

(1) Cfr. an. X, n. 1.

SS. D. N. PII PP. X IUBILAEUM SACERDOTALE.

A Consilio Centrali ad sollemnia Iubilaei Romae constituto apud Consilium Maximum Societatis e Catholica Italorum Iuventute (Romae in aedibus Spinola, Arco della Ciambella, 19) exemplar litterarum accepimus ad ephebeorum moderatores missarum, ad stipes esligendam unde calix comparetur, quo SS. sacra sit iubilari die peracturus; quas quidem libentissime edimus. Sunt autem huiusmodi:

Reverendissime Domine,

Societas haec nostra e Catholica Italorum Iuventute ubi primum certior facta est, diem XVIII mensis Septembris a. MDCCCVIII eam

86. Num Pontificia decreta statis temporibus publice legenda, reipsa lecta fuerint.

c) *De operibus Instituti.*

87. Quot personis (vel classibus personarum) beneficia contulerint sodales iis operibus quibus iuxta scopum sui Instituti sese devovent.

88. Si numerus istarum personarum post ultimam relationem aliebui imminutus fuerit, indicentur rationes.

89. (*Pro Institutis quae stipem ostiatim colligunt.*)

a) An ex constitutionibus clare et certo constet de iure seu officio stipem ostiatim colligendi;

b) Num decretum «*Singulari*» d. d. 27 Mart. 1896 ipsis Constitutionibus insertum sit;

c) num illud decretum in omnibus religiose observetur.

90. Num ab Institutis Sororum habeantur in suis domibus diversoria aut valetudinaria pro personis quibusenmque, etiam diversi sexus; et quatenus affirmative, cuius licentia et quibus cautelis.

91. Num et quomodo Sorores in seminariis vel collegiis vel quibuscumque ecclesiasticorum virorum domibus rem domesticam gerendam assumpserint.

92. Num Sorores opera quaedam caritatis exercant (v. g. erga infantes aut parturientes aut chirurgi cultro incisos) quae virginis Deo dicatas et habitu religioso indutas dedecere videntur.

93. Num Sorores, quae infirmis in privatorum domiciliis inserviunt, praescriptas a Constitutionibus cautelas semper adhibeant.

94. Num Superiores permiserint commorationem sodalium in domibus saecularium, et quanto tempore.

95. (*Pro Institutis Religiosorum.*) Num aliquod Institutum Sororum quasi ab ipsis dependens, sibique aggregatum, directe, vel indirecte retineant vel dirigant et quanam auctoritate.


96. Num post ultimam relationem aliquod novum opus, vel potius nova species operum aliis iam existentibus adjuncta fuerit, et quanam auctoritate.

97. Num in Instituto vel in aliquibus domibus irrepserint abusus et qui?

98. Num querelae vel difficultates existant a) cum Ordinariis locorum, b) cum confessariis, c) cum cancellanis.

Responsa autem ad suprascriptas quaestiones non solum a moderatore seu moderatrice generali, sed etiam a singulis consiliariis seu assistantibus generalibus, praevio maturo examine, signanda erunt.

Quod si quis ex iisdem consiliariis seu assistantibus aliquid magni momenti praeterea S. Sedis significantum esse putaverit, id etiam per privatas atque secretas litteras praestare poterit. Verumtamen memor ipse sit conditionis suae et sciat conscientiam suam graviter oneratumiri, si quid a veritate alienum secretis eiusmodi litteris exponere audeat.



EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Concilii Tridentinis decre- tis interpretandis:

— Permitti potest ut litterae, quibus laici a propria dioecesi dimittuntur, ab Ordinariis concedantur, earum vi extradioecesanus fieri proprius valeat Episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad clericalem tonsuram et ad ss. Ordines ab eo promoveri; dummodo tamen 1) dimissio ab Episcopo proprio ex iuxta causa in scriptis et pro determinata dioecesi concedatur; 2) acceptatio ne fiat nisi servatis regulis quae pro clericis *incardinandi* statutae sunt et servato quoque decreto *Vetuit* d. XXII mens. Decembr. MDCCCCV quoad alumnos a Seminariis dimissos (1).

(1) Cfr. *Vox Urbis*, an. IX, n. IV.



Iesus ad sepulcrum tractus.

(Alexandri Botticelli tabulam Florentiae asservatam photographice expresserunt FR. ALINARI).

3) Sed iuramentum ad tramitem Constitutionis *Speculatorum* requisitum praestandum esse ante clericalem tonsuram. Verum quum obligatio permanendi in dioecesi non propria eique in perpetuum serviendi, ante maiorem aetatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum esse ab Episcopis ne ad clericalem tonsuram admittant qui aetate maior non sit. (Ex decr. d. XXIV mens. Novembr. MDCCCC VI).

— Infirmi, qui iam a mense decubant absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SS. Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SS. Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in oratorio domestico;

semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis. (Ex decr. d. VII mens. Decembr. MDCCCC VI).

Ex Congregatione S. Romanae et Universalis Inquisitionis.

DECRETUM.

Mariavitarum sacerdotum secta, quae ab aliquot annis nonnullas Poloniae dioeceses infeliciter infestat, in eam paullatim devenit obstinatam pervicaciam et insaniam, ut iam Apostolieae Sedis postulet extre- mas coercitiones. Haec enim secta, cum in exordiis

suis simulasset singulare studium gloriae divinae, mox spretis Episcoporum suorum monitionibus et correctionibus, spretis ipsius Summi Pontificis pri-
mum paternis adhortationibus tum soverioribus com-
minationibus, spretis quoque censuris in quas non
unam ob causam inciderat, tandem ecclesiasticae
auctoritati se penitus subduxit, agnoscentes pro capite
foeminam quandam Feliciam, alias Mariam Franci-
scam Kozlowska, quam sanctissimam matrem dicunt,
SS. Dei Genitrici sanctitate parem, sine cuius patrono
nemo salvus esse possit, et quod delegavit Ioannem
Kowalski, ut suo nomine tanquam Minister ge-
neralis totam Mariavitarum societatem regat. Cum
igitur constet praedicta totius societatis capita,
Ioannem Kowalski et Mariam Franciscam Kozlowską
etsi iterum iterumque monitos in suis perversis do-
ctrinis et molitionibus, quibus simplicem multitudi-
nem decipiunt et pervertunt, obstinate persistere,
ataque in censuris in quas inciderunt sordescere, haec
Sacra Suprema Congregatio S. R. U. I. de expresso
SSm Domini Nostri mandato, ne quis, cum detri-
mento salutis aeternae, ulterius *communicet operibus*
malignis Ioannis Kowalski et mulieris Kozlowska,
declarat atque edicit dictum sacerdotem, Ioannem
Kowalski memoratamque foeminam Mariam Franci-
scam Kozlowską, *nominatim ac personaliter* maiori
subiacere excommunicationi, ambosque, e gremio
Ecclesiae Sanctae Dei penitus extores, omnibus
plecti poenis publice excommunicatorum, ideoque
Ioannem Kowalski et Mariam Franciscam esse *vi-*
tandos ac vitari debere.

Committit insuper RR. PP. DD. Varsaviensi Ar-
chiepiscopo, Plocensi, Lublinensi, Kielcensi aliisque,
quorum forte interest, Episcopis Polonis, ut, nomine
ipsius Sanctae Sedis, declarant singulos et omnes
respectivae suae dioecesos sacerdotes infami sectae
Mariavitae adhuc addictos, nisi infra viginti dies,
ab ipso praesentis intimationis die computandos, sin-
cere resipuerint, eidem excommunicationi maior,
personali et nominali, pariter subiacere eademque
ratione vitandos esse.

Praelaudati vero praesules magis ac magis sata-
gant e grege suo fideles, a sacerdotum Mariavitarum
insidiis ac mendaciis misere deceptos, admonere non
amplius Ecclesiae Sanctae Dei genuinos esse posse
filios quotquot damnatae sectae Mariavitae scien-
ter adhaereant.

Die v mens. Decembribus M DCCCC VI.

L. F. S.

PETRUS PALOMBELLI
S. R. et Univ. Inquisitionis Notarius.

— Dispensatio super irregularitate ex defectu na-
turalium ob haeresim parentum semel concessam ad
suscipiendam tonsuram et Ordines minores, valet
etiam ad suscipiendos Ordines maiores. (Ex deer.
d. v mens. Decembr. M DCCCC VI).

— Sacerdotes navigantes quoties, durante itinere,
navis consistat, confessiones excipere poterunt tum
fidelium qui quavis ex causa ad navem accedant,
tum eorum qui ipsis forte in terram obiter descen-
dentibus confiteri petant, eosque valide ac liceat ab-
solvere poterunt etiam a casibus Ordinario loci forte
reservatis, dummodo tamen — quod ad secundum
casum spectat — nullus in loco vel unicus tantum sit
sacerdos adprobatus, et facile loci Ordinarius adiri
nequeat. (Ex deer. d. XIII mens. Decembr. M DCCCC VI).

— Indultum super observantia festorum concessum
alicui Missioni validum quoque habendum est pro
aliis Missionibus, quae in posterum a pristina Mis-
sione seiungantur. (Ex deer. d. XIII mens. Decembr.
M DCCCC VI).

Ex Congregatione de Propaganda Fide:

— Fines Vicariatus Apostolici Abyssinen, statuuntur
prouti sequitur: Ad occasum, aquilonem et orientem
Vicariatus ipse iis limitibus continetur, qui eum se-

parant a Vicariatu Apostolico Africæ centralis (decr.
lat. d. xv mens. Ian. et d. XIII mens. Septembr.
M DCCCXCIV) et a Praefectura Apostolica Erythraeæ
(decr. d. XIII mens. Septembr. M DCCCXCIV) usque
ad occursum fluminis Awache, quod deinde orientales
fines Vicariatus Abyssiniae constituit usque ad lo-
cum in quo in illud influit flumen Kassam. Tandem
ad meridiem idem Vicariatus circumscrimitur a linea
recta, quae procedens a confluente fluminum Awache
et Kassam pergit ad confluentem amnis Sodoballé et
fluminis Mongher, a cursu huius fluminis usque ad
occursum finium occidentalium. (Ex deer. d. x mens.
Septembr. M DCCCC VI).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum, Indul- gentiarum et Sacrarum Reliquiarum:

— Magistro Generali Ord. Fratrum Praedicatorum
facultas fit delegandi ubique locorum sacerdotes, sive
regulares, sive saeculares, ad hoc ut Christifideles
utrinque sexus in societatem SS. Rosarii recipere,
eorumque rosaria, rosas et candelas benedicere va-
leant cum applicatione Indulgentiarum a Summis
Pontificibus eidem Rosarii Confraternitati concessa-
rum, firmo remanente onere mittendi, data opportu-
nitate, adscriptorum nomina ad aliquam Confrater-
nitatem canonice erectam. (Ex deer. d. XXXI mens.
Iul. M DCCCC VI).

— In summarium indulgentiarum et indultorum
Seraphici Ordinis inseri iubetur indulgentia plenaria:
1) Pro religiosis et monialibus, etiam Terti Ordinis
Regularis, qui annum quinquagesimum suae Religionis
confessi ac Sacra Communione refecti celebraverint;
2) pro iisdem religiosis et monialibus, primo ex
uniuersiusque mensis Sabbatis non impedito, in quo
celebratur Missa votiva de Immaculata Concepcione
vel Missa occurrentis Vigiliae, seu festi, aut Octava
eiusdem Beatae Virginis, iuxta Rubricas, dummodo
dictum Sacrum devote celebraverint vel audierint et
consueta opera peregerint; 3) pro omnibus fidelibus,
qui Ecclesias Trium Ordinum S. P. Francisci visi-
taverint in Festis a) Sanctissimi Nominis Iesu;
b) Sanctissimi Corporis Christi; c) S. Benvenuti Au-
ximani Episc. et Conf. I Ord., sub solitis condicio-
nibus; 4) pro omnibus Fidelibus, qui per tres saltem
dies continuos Exercitiis spiritualibus per Religio-
sos eiusdem Ordinis datis interfuerint et confessi ac
sacra Synaxi refecti ad mentem SSm oraverint. — In-
seri mandantur pariter plures indulgentiae partiales,
ataque indulta seu gratiae prouti sequitur: 1) Ut in-
dulgentia plenaria, absolutioni generali certis per
annum diebus impertiendas religiosis ac monialibus
eiusdem Ordinis adnexa, non solum pro defunctis, ut
auctores tenent, sed etiam pro vivis applicari pos-
sit; 2) ut fratres Minores, qui Missiones ad populum
habuerint, possint in eorumdem fine, servatis servan-
dis, Crucem erigere eaque adnectere indulgentiam
plenariam pro die erectionis et in festis Inventionis
et Exaltationis S. Crucis, lucrandam a fidelibus, qui
confessi et sacra Synaxi refecti coram et ad mentem
SSm oraverint, nec non partiale trecentorum die-
rum pro iis, qui coram ex corde saltem contrito ac
devoto quinque *Pater* et *Ave cum Gloria Patri* re-
citaverint; 3) ut praedicatori eiusdem Ordinis pos-
sent in fine concionum Adventus et Quadragesimae
solemniter habendarum, impertiri populo, servatis servan-
dis, Benedictionem Apostolicam cum indulgentia
plenaria lucranda a Christifidelibus, qui confessi ac
saera Communione refecti eamdem Benedictionem
aceperint et ad mentem SSm oraverint, dummodo
quinque saltem conciones praefatis temporibus a pae-
dicatoribus Ordinis habitas audierint; 4) ut religiosi
eiusdem Ordinis concessionares, qui facultatem habue-
rint, quatuor sacra scapularia sub unica forma be-
nedicendi eaque imponendi, benedictionem e suggestu
peragere valeant, exhibita formula in numero plu-
rali, praetermissaque impositione scapularium (quae

sibi quisque fidellum imponet), nec non nominum in-
scriptione atque eorum ad respectivas Confraterni-
tates transmissione. (Ex deer. d. XXII mens. Aug.
M DCCCC VI).

— Minime sufficit ut imago tituli altaris fixi in
tabula vitrea picta retro post altare in fenestra
applicetur. (Ex deer. Ratisbonen. d. x mens. Novembr.
M DCCCC VI).

— In oratoriis privatis, non vero in oratoriis se-
mipublicis, quae locum tenent ecclesiae, dici possunt
Missae de requie omnibus et singulis diebus, exceptis
festis de praecerto et duplicitibus I classis et diebus
ipsa duplicita I cl. excludentibus, ab obitu usque ad
sepulturam, quamdiu nempe cadaver sit adhuc phy-
sice praesens in domo.

Idem privilegium valet semel tantum in una ex
tribus diebus ab obitu usque ad sepulturam decur-
rentibus pro oratoriis publicis et ecclesiis Semina-
riorum, collegiorum et religiosarum communitatum.
(Ex deer. Ord. Minorum d. x mens. Novembr.
M DCCCC VI).

— In Missa votiva de Immaculata Concepcione
B. M. V. singulis diebus infra Octavam eiusdem My-
sterii atque singulis sabbatis per annum concessa ac
respondente Officiis ad instar simplicis redactis, quae
ritum duplice alias obtinent, excluduntur secunda
et tertia oratio de Tempore et solum admittuntur
commemorationes occurrentes et collectae, si iuxta
Rubricas et decreta admittendae sint, quia est Missa
festivi Officii duplicitis, licet per accidentis simplicis.
(Indidem).

— In festis Patronorum dioecesis et Fundatorum
Ordinis seu Congregationis regularis, si ritu saltem
duplice gaudent, dicendum est ad Missam symbo-
lum, prouti dicitur in eodem festo principali. Item
in festis secundariis Patronis principalis vel Titularis
ecclesiae, si sub ritu saltem duplice celebretur. (In-
didem).

— Minister inserviens Missae in altari, ubi SS. Eu-
charistiae sacramentum non asservatur, unico genu
flectere debet accedens ad altare et quoties ante me-
dium altaris transibit aut ab eo recedet. (Ex deer.
d. XVI mens. Novembr. M DCCCC VI).

— Minister tam in porrigendo, quam in recipiendo
osculate utramque ampullam vini et aquae, quin
tamen osculetur manum celebrantis. Oscula vero in
Missa pro defunctis et Feriae VI in Parasceve omit-
tenda sunt. Similiter Diaconus in dictis casibus non
osculate calicem et patenam, iuxta Rubricam Mis-
salis part. II, tit. 13, n. 2 et Caeremoniale Episco-
porum lib. I, cap. 18, § 16, et lib. II, cap. II, § 5.
(Indidem).

— Sacerdos infirmo Communione distribuens sem-
per dicere debet *Misereatur tui*, etc., sive infirmus
accipiat Viaticum, sive communicet ex devotione
aut ad implendum praecemptum paschale. Infra Mis-
sam vero, si sacerdos in altari proximo penes infirmum
celebrat, dicendum est *Misereatur vestri*, etc. Denique Minister infra Missam in casu *Confiteor*, et
Celebrans *Misereatur* dicere debent ad altare more
solito, non vero prope infirmum. (Indidem).

— Clerici prima tantum tonsura initiati, ad men-
tem decreti d. XIV mens. Martii M DCCCC VI tangere
possunt vasa sacra et linteas sacra, ac calicem pae-
parare in sacristia absque speciali indulto. Omnes
autem qui vestem talarem induunt, sint vel non ton-
surati, debent iuxta Rubricas Missalis (*Ritus servan-
dus in celebratione Missae*, tit. II, 1) superpelliceum
induere dum Missae inserviant, nisi pro laicis alie-
ni Familiae religiosae obstant specialia statuta
approbata. (Ex deer. d. XXIII mens. Novembr.
M DCCCC VI).

— Diaconus ratione ministerii sui potest, etiam
praesentibus sacerdotibus et extra casum necessitatis,
SS. Sacramentum de uno altari ad alterum deferre.
(Indidem).

— Iuxta Caeremoniale Episcoporum (Lib. II, cap. 8, num. 5) Celebrans Vesperarum, in initio huius Officii, quando ad suum locum pervenit, sedet paululum exceptis pluvialistis: omnes de choro sedere debent in eodem momento; sed tamen consuetudo contraria pro clero de choro servari potest. (Indidem)

— In Missa solemni coram SS. Sacramento expo-
sito, Celebrans, postquam dixit in initio *Oramus te*
ed ad Offertorium *Veni, Sanctificator*, non debet cum
ministris rursus genuflectere antequam aliquantulum
se retrahat versus cornu Evangelii in thuris im-
positione. Neque subdiaconus, accepta patena post obla-
tionem calicis postquam genuflexit in suppedaneo ad
dexteram diaconi, debet iterum genuflectere quum
venerit ante infimum gradum. (Indidem).

— Missa Ordinationis in Sabbatis Quatuor Tem-
porum est de feria: in Sabato Pentecostes in ipsa
facienda est commemoratio simplicis aut simplificati
occurrentis: minime vero in aliis, nisi Officium fuerit
de feria, quo in casu commemoratio non est omittenda.
(Indidem).

— A sacerdote Missam celebrante in ecclesia de-
dicata alicui mysterio Divinarum Personarum, vel in
oratorio quod Titulare non habet, in oratione *A
cunctis nominari* debet Patronus loci, si in loco ubi
celebrat consuetudo adgit faciendi in Suffragiis com-
memorationem de loci Patrone. (Indidem).

— Quando transfertur festum v. g. Annuntiationis
B. M. V. in quo exsequiae cum Missa exequiali pro-
hibentur, haec prohibitio subsistit in die sola impe-
dita, non die in qua Officium transfertur, nisi trans-
feratur cum feriatione. (Indidem).

— In functione Benedictionis SS. Sacramenti, pae-
ter orationem de eodem, alia cantari potest priusquam
curretur *Tantum ergo*, quando aliae dicendae sint
preces. Minime autem in casu opposito, nec non in
festo et infra Octavam SS. Corporis Christi. (Indi-
dem).

DIARIUM VATICANUM.

(Die xxii mens. Ian. — d. xx mens. Febr. M DCCCC VII).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites
aliisque viros, qui sui cuiusque munieris gratia Pon-
tificem de more adivere, peculiari nota digni sunt
iuxta admissionis diem: Bruno Chaves doctor, Bra-
siliensis legatus extraordinarius et administer cum
omni potestate apud Apostolicam Sedem; Ruspoli
princeps foemina cum liberis; Edmundus Obrwecht
ex Monacis Cisterciensibus O. S. B.; Gethsemani abbas;
Silvanus De Stefano O. S. B., abbas ordinarius Cavae
Tyrrenorum; Franciscus Malvezzi Campeggi mar-
chio; Franciscus Xaverius Cardelli comes, eiusque
uxor; Fridericus Hoyos comes, Austrorum legationi
addictus apud Apostolicam Sedem, Monachium trans-
latus; Marius Di Carpegna comes, eiusque uxor;
Otho Czernin de Chudenitz comes, Austrorum lega-
tionis apud Apostolicam Sedem a secretis; Alexander
Ruspoli princeps Urbanus, patre vita functo, Magi-
ster Sacri Hospiti creatus; Petrus Lucchesi-Palli
comes eiusque uxor Beatrix e Parmensi ducum
genere; Hector Decaud doctor; Iosephus Aldobran-
dini, princeps Urbanus; Angelus M. Dolei, archie-
piscopus Patrensis, legatus apostolicus apud Bolivianam et Peruvianam civitates; Dominicus Reuter,
praepositus generalis Minorum Conventualium; Se-
minarium Tiburtinum; Consilium Centrale et Ro-
manum ad Iubilaeum Sacerdotale SSmi celebrandum;
Antoninus Salvati dux; Ioannes Cavalletti Rondi-
nini marchio.

Pontificiae electiones.

Reveritus vir Ioannes Baptista Nasalli Rocca, Ca-
nonicus Liberiana basilicae, episcopus Eugubinus
dicitur.

— R. p. Joachim Iosephus Berthier ex Ord. S. Do-
minici in consilium S. C. Studiorum cooptatur.

Vita functi viri clariores.

Die vi mens. Febr. Camberii Franciscus Hautin,
Camberiensis dioecesis archiepiscopus, Lutetiae Paris.
n. d. ii mens. Maii M DCCC XXXI, episcopus Ebroicen.
creatus d. XXVI mens. Junii M DCCC XC; prom. d. xv
mens. Junii M DCCC XCIII.

— Die VIII Romae, octuaginta et duos annos na-
tus, r. p. Albertus Gibelli, abbas generalis O. S. B.
Camaldulensem.

ANNALES.

Iaponica cum Americanis discordia.

Querela novissime oborta inter cives Iaponios
et Americanos in gentium pacem discrimen hand
leve comparasse videbatur. Magistratus enim
Californiana reipublicae, iussis Roosevelti
praesidis parum dociles, quam ediderunt legem
arcte servaturos sese spondebant, nec datus
unquam ut Iaponiorum pueri in libera civitate
americanas scholas adirent unaque cum liberis
suis doctrinae panem acciperent. Irascebantur
non sine causa Iaponii, adeoque aestuavit in-
terdum alienius civis ingenium, ut nec inuenies
defuerint qui in Americanum vexillum gravem
iniuriam intulerint. Verumtamen utriusque gentis
legati tantam hinc inde prudentiam atque
sapientiam in rem contulere, ut non modo ci-
vium suorum iras sedaverint, sed ad pacifica
consilia reduxerint, ipsiusque contentionis com-
positionem paraverint, omneque belli metum et
ab America et ab Asia dispulerint.

Mauritana seditio.

Mauritanum quoque civile bellum, brevi illa
pugna quam narravimus, iam confectum appa-
ret. Petiit quidem Raisulius ille latro Tan-
gerim in urbem redeundi veniam; infida tamen
postulatio; quia fugitivae eius copiae per deser-
torum fines alaci pede urgentur. Interea Hel-
vetius legatus proponit ut vigilum cohortibus
delegendis ad tutelam litoris urbisque aliquis
praeponatur, cuius nomen plane sit et Mauri-
tanis et Europaeis populis gratum. Superest qui-
dem in armis sicarius ille, qui Ben-Mamur oc-
cidit, quamquam tum ad necem tum ad arma
Raisulii consilio impulsu nonnulli putant, sed
in eius quoque copias arma regis iam ita mo-
ventur, ut brevi ille credatur ad summas an-
gustias iri adductum.

Turcarum res.

Byzantii haec inter Turcarum rex, Germanici
legati intercessione tandem compulsus, Fehim
praesidem, virum omni corruptelae deditum
atque repetundarum criminis saepe incusatum,
in iudicium vocavit. Ille igitur qui universi
regni vicibus praerat in ius venire coactus
est, coram tribunis condemnatus atque igno-
miniosa missione multatus et exilio. Viden-
dum vero modo restat an edita haec poena
exequutioni mandetur, quod, etsi graviter Ger-
mani Caesaris ira aestuaverit, tamen, ob prae-
valida patrocinia, quibus ille iuvatur, haud
facile futurum Turcarum rerum periti prae-
nunciant.

Argentinensis reipublicae tumultus.

In Argentinae quoque Reipublicae nonnullis
provinciis seditio novissima in consules atque
in magistratus exarsit. Hoc tamen flagitium
Americanis latinis gentibus iamdiu proprium,
ut multis abhinc annis paullatim cessit, ita
Argentinenses magistratus brevi modo concil-
care sategerunt missis copiis, quae levi pugna
perduellium agmina disiecerunt provinciasque
ultimas ad obsequium redxere.

Itinera pacifica.

Bulgarorum interea qui res ad exteris gerit
Stanciowius iter suum Berolinum, Vindobonam
ac Petropolim per urbes explevit, atque cum
variis gentium administris ita est colloquutus,
ut pacificam tum principis tum populi sui men-
tem etiam atque etiam spoponderit et confir-
maverit; suaque pro parte promiserit Balka-
norum regiones pacis discrimen nunquam fore
ut experiantur.

Postremo Anglorum rex Eduardus regiaque
uxor Lutetiam Parisiorum iterum mox visita-
runt ea comitate, qua par erat, a Fallierio
praeside excepti, ut hospites plane dilectissimi.
Fiunt haec quidem dum passim in Anglia con-
cilium agitatur de fovea Britannico sub mari
deducenda, quae Gallos tandem ac Anglos via
tuta pedestriique coniungat. Ingens sane facinus,
gigantibus dignum, eoque magis memorandum,
quia dispulsam quasi arguet diffidentiam illam
atque inimicitiam, quae non semel Anglorum
animos Gallorumque divisit.

Gallorum resipiscencia?

In Gallia vero quum simus, illud iuvat tandem
animadvertere quod novissime apparuit, intel-
lexisse Galliae administros quod seite neces-
sarium iamdiu erat, res Ecclesiae hand iure
componi posse, nisi intercesserit cum ipsius Ec-
clesiae legatis compositio. Quamobrem tum
Briand administrum, tum Richard Purpurati Pa-
tris legati invicem viserunt ut de tem-
plis aedibusque sacris pecunia conducendas ac
locandas, intacto Ecclesiasticae disciplinae iure,
statuerent. Redditum interea per legatum Au-
strorum Hungarorumque apud Gallos Aposto-
licae Sedis violatum archivum dicitur. Eruntne
igitur haec religiosae componendae pacis initia?
Ut faustum id bonum felixque sit ex
animo ominamur, quamquam de re valde du-
bitamus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS.

In Anglia de oborta novissime discordia
senatores inter atque legatos populi, Campbell
Bornemann, qui administris praest, rogationem
ad comitia attulit qua senatorum potestas coer-
ceretur, ne publicae utilitati obesse aut popu-
lorum voluntati posset.

In Batavia De Meester, administratorum con-
cilio praepositus, una cum sociis a munere

discessit, quia exhibita ratio accepti et expensi coram senatoribus approbata non est.

In Bulgaria dilatae comitiorum sessiones, ob factionis regi adversae tumultus, fuere, quae obstant ne athenaea nova lege emendentur.

In Gallia de religiosa novissima contentione diu atque faennde in comitiis est disceptatum, tum praesertim quum, auctore Briand administratore, de religiosa re componenda cum Parisiensi Archiepiscopo susceptum est consilium. Ille tamen suam agendi rationem plurimis suffragiis comprobata retulit.

In Germania, post habita nuper ad legatos populi eligendo comitia, socialistarum factio late diminuta, legislatorum sessiones ritu solemnii sunt ineoepiae. Regia oratio de imperii salute atque Victoria civium omnium iunctis viribus late per orbem procuranda praesertim fuit.

In Hispania novum alind administratorum collegium res publicas moderandas suscepit. Maura praeses se neque in religiosa re neque in interna civium discordia huic vel alteri factioi famulaturum, sed omnia ex aequo et bono atque pacifica mediatione compositurum spopondit.

In Italia rationes accepti et expensi eorum populi legatis quiete disceptantur.

In Nigro Monte Radovitch electus a principe nuper est, qui publicas res summa auctoritate moderetur.

PER ORBEM.

Die XXIII mens. Ianuarii MDCCCCVII ex Argentina republica ob operariorum ex condicto ab opere desertiones tumultus passim nunciantur.

— d. XXVIII, Insulis, fodinae ob aerem grisou incensum debiscunt, cunicularios plures sepe lentes, quorum aliquot misere vitam amittunt.

Similia ad Reden in Rheni provincia fiunt, imo iactura maiore, quum mortui ad ducentos enumerentur.

Die II mens. Februarii concilium armoricanum "Pro Pace", sermonem latinum sibi constituit gallico auxiliare.

Novae fodinarum ruinae ad Charlestown lugentur, unde operarii ad quinquaginta oppressi sunt.

Harrisburg in Pensilvania incendium negotiorum vicum et theatrum civitatis absumit, ingentia damna procuraunt.

Clevering, vectoria Anglorum navis, Iaponiam petens, naufragium facit: duodequadranta viatores pereunt.

Lutetiae Parisiorum Korhn doctor novissimum a se inventum exponit, unde electride imagines longe transmitti queant.

— d. III Petropoli moritur Dmitri Ivanovitch Mendelejeff, chymices peritissimus, qui auctor fuit celeberrimae legis illius periodicae de elementis chymicis, unde plurima inventa in illa arte manarunt. Natus erat Tobolsk an. MDCCCXXXIV.

— d. V atrae procellae in Canada et passim ad occidentem solem Americae septentrionalis furiunt.

— d. IX, Lorient, navis ad torpedines emitendas dum militaribus exercitationibus in portu vacat, improviso incenditur, classiarios novem concremat.

— d. XVI Bononiae septuaginta et tres annos natus diem obit supremum Iosue Carducci, Italicorum nostrae aetatis poetarum maximus (1).

Vindobonae Maria Clementina, vidua Augusti Saxorum de Coburgo Gotha principis, filia Aloisii Philippi, quondam Gallorum regis, nonagesimum aetatis annum agens cursum vitae placide absolvit.

LOCI.

Adolescens se sistit studiorum iudicibus periculum sui facturas. Ubi ad historiam ventum est, unus ex professoribus sic eum percontatur. — « Cedo, quaenam fuit eura omnium maxima Caroli cognomento Calvi? » Discipulus nihil cunctatus. — « Oh! animi molestia quam capiebat ex calvitie!... »

LIBRORUM RECENSIO.

Dott. G. B. BERTOLDI, prof. di lettere nel R. Ginnasio di Brescia. — M. Minuzio Felice e il suo Dialogo "Ottavio", (Romae ac Mediolani edid. Soc. Danto Alighieri, 1906).

Brevi hoc opusculo cl. auctor amplam explicat eruditioinem. Sermone facto de codice unico, qui hunc Dialogum refert (servatur autem in bibliotheca Vaticana et exaratus est sub initium saeculi IX), plurimas recenset editiones, quae a saeculo XVI usque ad nostra tempora vulgatae sunt, et interpretationes quoque memorat quae italice, gallice, germanice, anglice, et batavice prodierunt. Inde de gente Romana Minucia loquitur, cuius soboles Felix erat; de eius patria in Africa sita, de eius gestis, de arte oratoria, quam exercebat ante et post suspectam religionem christianam, de variis eius scriptis, ac tandem de aetate in qua vixit, quam, longiore facta disquisitione, in secunda parte saeculi II reponit. Tandem ipsius Dialogi argumentum proprius inspicit et evolvit, et fontes litterarios aperit e quibus auctor saepius hausit, indicatis locis Ciceronis, Vergilii, Lucretii, Ovidii, Juvenalis et Senecae, qui subinde eius menti obversari videbantur.

Neque etiam desunt varii sacrarum Scripturarum loci, ad quos in Octavio alluditur, quidquid Bähreus contra scripsit.

F. X. R.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Socios et lectores admonere iurat, libros recens editos atque ad nos missos ut in Voce Urbis eorum notitia detur, apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, minime venundari. Si quis igitur alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

E. DUPLESSIX. La Loi des Nations — Rennes, ex off. Fr. Simon.

Id. La Loi des Nations. Projet d'institution d'une Autorité internationale Législative, Administrative et Judiciaire. — Projet de code de Droit international public. — Ouvrage couronné par le Bureau international de la Paix. — Concours 1905-1906; 1^{er} Prix. — Lutetiae Parisiorum ex off. Soc. I. B. Sirey, 1906 (Ven. lib. 7).

MISS MULOCHE. Sorellina. Traduzione dall'inglese di F. R. C. — Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc., 1906 (Ven. lib. 2).

(1) De viro digno quidem qui pro litterarum meritis abunde commemoretur, peculiariter in proximo numero dicemus.

CAPECELATRO CARD. A. La madre Chiesa Cattolica. — Ibid. (Ven. lib. 0,25).

Id. Papa Pio X e la Francia. — Ibid. (Ven. lib. 0,50). FELICE DACOMO. Esercizi latini e temi graduati di versione dal latino e dall'italiano, con appendice delle principali regole della sintassi latina, ad uso delle prime classi ginnasiali. — Augustae Taurinorum edid. off. Salesiana S. Ioannis Evangelistae. (Ven. lib. 1,50).

MACINAI L. Uomini e spiriti. I capi saldi. Apologética. — Romae edid. Desclée, Lefebvre et soc. 1907. (Ven. lib. 1,20).

VALLEGA E. Iesus princeps pacis. Canti dell'anima. — Ibid. (Ven. lib. 3).

DE FELICE F. Spiritus tenuis. Poesie. — Ibid. (Ven. lib. 1,75).

Id. Saggi di varia polemica. — Ibid. (Ven. lib. 1,75).

Il cantico dei cantici volgarizzato e annotato da RAFFAELLO CARDAMONE. — Ibid. (Ven. lib. 1,75).

LAGHI P. Giardino del catechista, ossia prontuario di esempi per l'esposizione della dottrina cristiana. — 3^a edizione riveduta e aumentata. — Ibid. (Ven. lib. 5).

CALDERONI G. L'evoluzione e i suoi limiti. — Ibid. (Ven. lib. 4,50).

BIANCONI A. O Roma felix! Romanzo storico con prefazione di O. Marucchi. — Ibid. (Ven. lib. 3,75).

Esortazioni attribuite a San Francesco in un opuscolo inedito del secolo XIV. — Ibid.

DE MARGERIE A. S. Francesco di Sales. — Ibid. (Ven. lib. 2).

LAGUIER L. Il metodo apologetico dei Padri nei primi tre secoli. — Ibid. (Ven. lib. 0,60).

AENIGMATA

I.

Bellis emicuit totum; praeponito plantam:

Praeclara cecinit pascua, rura, duces.

A planta totum demum si legeris, urit

Atque suis icit pectora cupidibus.

II.

Par iaculo ferio sine vulnere quemlibet ultor,
Narro, cano, doceo, mordeo dente carens.

F. X. B.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderato rem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

FABULAE SELECTAE
IOANNIS LA FONTAINE
LATINE CONVERSÆ
A FRANCISCO XAVERIO REUSS.

Aenigmata an. IX, n. XII proposita his respondent:

1) G-rex; 2) Ama-rus.

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Greg. Cleary O. F. M., Roma. — Rich. Brondel, Brugis. — Alois Cappelli, Senis. — I. Ortiz, Moretta. — Ioan. Battani, Volaterris. — F. Arnori, Mediolano. — Rich. Müller, Berolino. — Alex. P. Gest, Trentonio. — F. Guerra, Atetio. — V. Starace, Neapol. — I. Walter, Neo-Eboraco. — Call. Amalberti, Albio Intemelio. — Ioan. Rappel, Aureliano. — Princ. Gordon, Mancunio. — F. R. Venetis.

Sortitus est praemium:

GREGORIUS CLEARY,
ad quem missum est opus, cui titulus:

IOANNIS BATTANII
ANTHOLOGIA PARVA GRAECO-LATINA (VII).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

(Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.)

PEL. Secerne veris vana. Speciosus micat
Ubique fulgor; splendet in opibus nitor;
Accedit aurum fulva lux, ostrum rubor.
Blanditur oculis gemma, praeradiant ducum
Postes; superbo marmor assurgit situ;
Laxantur atria, quies salutantum globus
Undat redundat. Mille quid longus sequar
Rerum figuram? Aula, rex, solium Cyclas
Inane mentis vulgus attonitum trahunt.
O vana lucis umbra....

ANAST. (Proh! blandum iubar!).

PEL. Semperque fallax! Intus implacidae sedent
Furia; cruentat angor, eversae furunt

ERAST. Tantum malorum fronte tam pulchra latet!
PEL. Sectare modica, nate, nec censum supra

Attolle vota; mente divitias loca,
Intus beatus: esse qui felix amat,
Supraque casum fixus ac sortis rotam,
In se reducat orbis arbitrium sui;
In se recumbat; nec suum quidquam putet,
Nisi quod repostum mente fortunam fugit.
Haec te beatas ducet ad sedes via.

ERAST. His obsequendum, genitor, his animum sedet
Firmare monitis. Nulla degenerem dies
Arguet. Inanem calco fortunae globum,
Complexus animi decora. Stat cordi pudor,
Stat alma pietas, castus aetatis tenor,
Idemque frontis pariter ac mentis color,
Vel fremat Avernum.

PEL. Indolem egregiam probo.
Hac spe Penates repepe. Dum redeo, vale (1).

SCENA II.

PELAGIUS, ANASTASIUS.

ANAST. (Maturus urget fraudis intentae locus.
Agrediar). O labantis Imperii salus
Columenque rerum; tende poscenti manum
Patriae, Pelagi.

PEL. Fare, quis patriam gravat
Repente casus?

ANAST. Ius perit.

PEL. Vetus malum.

ANAST. Fidem fefellit Caesar.

PEL. Antiquum obtinet.

ANAST. Succumbit astu candor.

PEL. Assuetum nefas.

ANAST. Obruimur omnes.

PEL. Sistat exitium Deus.

ANAST. Per celsa Procerum capita grassatur chalybs.

PEL. Et hoc timebam.

ANAST. Foeda Gazaeum lues,

Hausto veneno, rupit.

PEL. O regum scelus!

Gazaeus, urbis lumen?

ANAST. Eloquio potens...

(1) Erastus exit.

PEL. Miseris levamen?
ANAST. Dulce praesidium bonis,
Terror malorum...
PEL. Cecidit?
ANAST. Aeternum iacet.
Sed levia querimur. Maius his aliud malum
Iam iam minatur. Affer extremis opem
Rebus, Pelagi. Zeno — proh regni probrum! —
Testatus ante sedis aeternae faces
Sceptrumque nato pactus et pacem patri,
Utrumque fregit. Captus Harmatinus dolo,
Perdet revulsum scelere conficto caput.
Hinc sparsus agro miles ultricem vovet
Urbi ruinam, busta, flammarum globos,
Vastum sepulcrum, si ducem Caesar necat.
Succurre patriae; libera insontem nece.
PEL. Succurre tantis, qui potes, malis Deus!
ANAST. Fraus in propinquuo est. Flecte Zenonem prece:
Sin obstinarit pectus, exterre minis.
Perfringe cautem; robur, aes, ferrum doma.
Timuit monentem saepe, minitantem tremet.
Adire regem patriae impellunt mala.
PEL. Affabor ultro.
ANAST. Regium intrabo prior
Conclave, mollis pateat ut fandi locus (1).

SCENA III.

PELAGIUS.

PEL. Quid, anima, trepidas? Quis reluctantem pavor
Retro coerces? Surge, magnanimos cape
Vigoris ignes; perage meditatum decus.
Zeno alloquendus.... Ille quis? Regni caput.
Quid rex? Honores deme; par aliis homo.
Quid homo? Decorem iunge virtutum, Deus;
Appone crimen, vilior feris homo.
Sin labi labes, scelere cumuletur scelus,
Nullusque iuris tangat humani pudor,
Non lex Tonantis, peius Infernis quoque
Erit ille monstris. Hanc ut extimeas feram,
Monstrumque timeas? Ibo, quo patriae salus,
Quo iusta caeli causa properantem vocant... (2).
Frenator orbis, Christe, regnorum arbiter,
Idemque regum terror, incoepitis fave;
Da robur animo, fulmen eloquio, modum
Causae decorum; da superbicos ducum
Frangam tumores, inque tranquillum retro
Cursum reflectam. Sin quis irarum impotens
Hos rumpat artus chalybe, da mente ardua
Vitam resolvam. Quidquid occiduo imminet
Orbis malorum, sanguis avertat meus (3).

(Ad proximum numerum).

(1) Exit.

(2) Genibus flectit.

(3) Caput usque ad terram prosternit atque inter orandum manet
quasi a sensibus abstractus.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCVII.

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80;
ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5;
Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA:

Ex subnotatoribus quisque KALENDARIO a *Vox Urbis*
expresse edito fruetur.

Qui socios novos comparaverit duos premiumque eorum
subnotationis miserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium
mensem - bibliopolis exceptis - dimidiatum premium itineris habebit a quovis Europae
loco ubi vivat Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti
vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra,
eodem itineri gratis omnino fruetur.

Kalendis Januariis MDCCCCVII "cumulativa", subnotatio instituta est
inter comm. *Vox Urbis* et Romanum diarium *Corriere d'Italia*.

Ven in Italia lib. 18; apud exteris gentes lib. 34,50.